



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CLXVII. De Continuo insultu hostium & variis tribulationibus
Christianorum Pruschiae infra secundam apostasiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. CLXVI.

De

*Subjectione Pogesanorum, & strage
magna eorundem, & de pace redditâ
Christianis.*

Perturbati ergo Magister & Fratres de hujusmodi lamentabili eventu, ad ulciscendam injuriam interfectorum, congregaverunt omnem potentiam exercitus sui, & intrantes terram Pogesaniæ, à fine usque ad finem rapinâ & incendio vastantes interfecerunt viros, & mulieres, & parvulos captos deduxerunt; Insuper & Castrum Helsberg, (quod) quidem tunc fuit in manu Pogesanorum, expugnaverunt, captis omnibus & occisis & extunc terra Pruschiæ quievit in pace.

CAP. CLXVII.

De

*Continuo insultu hostium & variis tri-
bulationibus Christianorum Pruschia infra-
secundam apostasiam.*

Quot incommoda, quot pericula, quotque angustias fratres & alii Christi fideles in hac persecutione, quæ ultra XV. annos duravit ab hostibus in singulis civitatibus, castris & aliis locis perpepsi sunt, in sola Dei cognitione ita subsistunt, quod nullus hominum nunc viventium posset ea plenius explicare. Vix fuit aliqua hora, in qua possent panem in saturitate comedere, nisi una vel duabus vel pluribus Vicibus surgerent ad pugnam ab

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.

Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. Prussiae.

ab hostibus propulsati. Et ut verum fatear in eis fuit impletum, quod de Judæis volentibus civitatem sanctam Jerusalem reædificare, gentibus ex adverso renitentibus, dicitur, quod media pars eorum faciebat opus, & altera tenebat lanceas ab ascensiū auroræ, donec egredierentur astra, unā manu faciebant opus, & altera tenebant gladium. Sed hi DEI ministri, ut docet Apostolus, in his omnibus tribulationibus, necessitatibus, angustiis, plagiis, carceribus, seditionibus, laboribus, vigiliis & Jejuniis, in multa patientia quasi morientes vixerunt; quasi tristes, semper autem gaudentes fuerunt. Obsecro ergo eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter diversos casus; sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum sed ad correctionem generis esse nostri. Et enim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiōes adhibere magni beneficii est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eos, cum dies Judicii advenit, in plenitudine peccatorum puniat: Ita ut in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis ita deinde vindicet, propter quod nunquam à nobis misericordiam suam amovet, corripiens verò in adversis populum luum non derelinquit.

CAP. CLXVIII.

Dicitur

Secunda Castri Bartenstein destructione.

Sudovvitæ audientes, quod Barthi, Warmienses & alii Prutheni se fidei & fratribus iterum subjecissent, indignati sunt, & convenientes cum magno Exercitu, improvise obsederunt

Kk 2

Ca-

